Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31712
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

hereticos. Sed tamen meliora sunt sacre scripture
testimonia. que auctoritate prelata. Fragran-
tia unguentis optimis. id est redolentia sancti
spiritus donis. Bonum unguentum est ad litteram quod
de agrestibus herbis confectum. exteriora vul-
nera sanat. Melius unguentum quod de melio-
ribus speciebus factum. intercutaneum morbum curat.
optimum unguentum quod de preciosis speciebus.
ut de nardo compositum. interiores dolores
fugat. vel corpus a putredine servat. ut il-
lud Marie in evangelio. quod super caput Christi
fudit. Ad spiritalem autem sensum. bonum
unguentum oleum est infirmorum. quo infir-
mi unguntur in ecclesia. Melius unguentum
oleum sanctum. quo reges et sacerdotes ungun-
tur. Optimum unguentum chrisma. quo
christiani in regnum et sacerdotium unguntur.
Tropologice vero bonum unguentum est
naturalis lex. id est quod tibi non vis alii ne feceris.
per quam placuit Abel. et Enoch. et alii. Me-
lius unguentum. lex scripta. non occides. et cetera.
optimum unguentum sub gratia. ut nolo
mortem peccatoris. sed ut convertatur et vivat. Allego-
rice autem bonum unguentum est remissio
peccatorum in baptismate per spiritum sanctum. Sed melius
unguentum bona vita post baptismum
per gratiam sancti spiritus. ut sobrie et iuste et pie
vivamus. Optimum unguentum septem donorum
spiritus sancti. videlicet spiritus sapientie et intellectus
et cetera. Lacte talis doctrine fragrant ubera
matris ecclesie. Tropologice autem sic de anima
accipitur. Anime iudicium timenti. et pacem
a iudice petenti. dicit sponsus. quod invi-
dex. Quia penitendo pacis osculum a me
poscis. ego osculabor te. peccata remit-
tendo. et pacem beate vite tribuendo.
Quia meliora sunt ubera tua vino. fragrantia
unguentis optimis. Duo homines le-

guntur. exterior et interior. Exterior constat
in tribus. in corpore. in vita. in sensu exterio-
ri. Interior quoque constat in tribus. videlicet
in sensu interiori. in ratione. in intellectu.
Corpus constat ex quattuor elementis. id est ex terra. ex aqua.
ex aere. ex igne. et hoc habemus commune
cum lapidibus. Vita est vis anime. que vivifi-
cat corpus. et hanc habemus communem cum
herbis. et arboribus. Sensus est vis anime.
que corpus animatum sensificat. et hunc habe-
mus commune cum bestiis. et omnibus animan-
tibus. Cuius sensus quinque partitur. scilicet visus.
auditus. gustus. odoratus. et tactus. Visu quippe
colores. auditu sonos. odoratu odores.
gustu sapores. tactu dura et mollia dis-
cernimus. Sensus interior est vis anime.
qua preterita presentia futura imaginamur.
Ratio est vis anime. qua imaginum genera.
et species discernimus. Intellectus est vis anime.
qua incorporea ut est dilectio et sapientia in-
telligimus. In his tribus constat interior homo.
in quo nichil commune cum bestiis habemus.
In hoc imago dei exprimitur. et huic spiritus
sanctus in scripturis loquitur. Hoc autem differt.
inter imaginem et similitudinem. quod ima-
go est in essentia nature. similitudo vero in imi-
tatione boni vel mali. Imaginem dei na-
turaliter habemus. similitudinem peccando
perdidimus. Sicut ergo exterior homo habet sua
membra sibi congrua. ita interior homo. habet sua
membra sibi convenientia. Cuius itaque ubera
sunt sapientia et scientia. quibus sic indoc-
tos satiat. ut mater uberibus filios lactat.
Vinum autem quod mentem subvertit. est cura
exteriorum. qua fratribus ministrare. et ecclesias dei
exornare sollicita fit. Sed meliora sunt
ubera eius vino. quia magis deo placet doc-
trina. qua indoctos informat ad virtu-